



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. II. Egregia pueri sancti infantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

IO VITA B. IOSEPH  
biliter habitare. Ambierūt hunc Spon-  
si lectulum incessanter sexaginta for-  
tissimi: id est, perfectio operum Deca-  
logi; siue perfecta sanctorum custo-  
dia Angelorum, quibus Dominus  
Sanctum suum in omnibus viis suis  
custodire mandauit.

CAPVT II.

*Egregia pueri sancti infantia.*

**E**LECTVS itaque Dei puer, quem  
elegit, & super quem posuit Spiri-  
tum suum, in infantia teneriore sub  
paupertate nutritus, didicit iam tunc  
nulli animum subdere voluptati; sed  
subdi parentibus & quibusque maio-  
ribus, cum metu & reuerentia; & cum  
coæuulis suis societate benigna, & so-  
ciali benignitate connecti. Nulla illi  
proteruia vultus, & verborum blas-  
phemia, & inordinata omnium mem-  
brorum disiectio; quæ plerosque in-  
fantium nostri temporis maculare  
con-

ORDINIS PRAEMONST. II  
conſueuerunt ; ſed vultus omnino ſe-  
renus, oculique blandiffimi, & qui,  
quid intus contineretur in corde, læti-  
ficis quibuſdam ſcintillulis emican-  
tibus demonſtrarent. Habuit fanè  
hanc gratiam vſque ad finem vitæ  
mortalis ; vt ſiquando ſine inuidia vi-  
deretur, tam vultus illius, quàm oculi  
omnimodis columbini, & ſpiritualis  
lætitiæ plenitudinem in ſe oſtende-  
rent, & in ipſum intendentibus mini-  
ſtrarent. Oris cuſtodiam ita ab ineun-  
tis ætatis tempore ſtudiuit conſeruare,  
vt neque nos, qui cum ipſo vna in do-  
mo pariter habitare conſueuimus, ver-  
bum iactantiæ aut contumeliæ, aut  
opprobrij vel maledictionis in quem-  
quam, aut turpiloquij aut ſcurrilita-  
tis alicuius, multò minùs detracti-  
onis aut mendacij, audiuerimus aliquan-  
do. Nonnumquam tamen (ne eſſe ſu-  
per hominem videretur omnino) ad  
diſſimulandum quod erat, cunctis ſe  
ſocialem exhibuit ; & iocis blandiffi-  
mis,

*Mirus cæ-  
dor in ocu-  
lis eius &  
vultu.*

*Oris cuſto-  
dia.*

mis, quibus seipsum deprimeret, & alios in lætitiā erigeret, vtebatur. Sed quia in hæc quadam præoccupatione dilapsi sumus, iam nunc ad illius infantiaë rudimenta manum simul & animum aduertamus.

## CAPVT III.

*Scholis applicatus rara pietate colere  
incipit Virginem-matrem.*

*Discit lite-  
ras.*

SEPTENNII tempus cùm puer Domini attigisset, studijs est applicitus litterarum: ad quas pro possibilitate puerilis ingenij capiendas Deidocibilis fatis habilitatus est. Mox mirum in modum, diuino Spiritu inspiratus, totus ad Dei seruitium puerulus est conuersus: & ceteris conscholariibus suis (sicut moris est) festiuis diebus ludentibus, hic se ab eorum consortio segregabat, & Monasterium B. MARIÆ virginis & Dei genitricis ingressus, ante illius imaginem, for-

*Pietas rara  
adhuc  
pueri.*